Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2361
Quelle:
Copyright:

bardi Libros Sententiar. Initium: *Cupientes &c. Magiſter huic operi premittit quendam prologum in quo volens inducere auditores et lectores ad amorem huius operis* &c. Adhaerent alia Adverſaria et Quaeſita Theologica, quae omnia cum *Sermonibus* recenſitis ad Academiam *Viennenſem* pertinere, dubium non eſt.

DCXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. 279
XV. Folior. 76. f. inſcribitur: *Magiſter alanus de planctu nature.* Initium eſt:

In lacrimas riſus in luctus gaudia uerto &c.

Finis: *miſtice aparicionis derelinquit aſpectus. Amen Anno Domini 1441 feria II ante praxedis virginis Explicit liber venerabiliſſimi Magiſtri Alani De planctu nature.* Vide, ſi placet, quae de iſthoc Opere ad *Cod.* CCCXXIX. diximus, a quo praeſens differt primo, quod paſſim notulis cum intra lineas, tum in margine adſperſus ſit, dein, quod *Rhythmos* in fine nullos adjunctos habeat.

DCXVIII.

756 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 148. 8. probe ſcriptus, rubricis diſtinctus, olimque, ut *fol. ult.* minio notatur: *Liber Eccleſie Campenſis prope Berckam* hunc praefert titulum: *In nomine domini. Incipit libellus de fuga uiciorum.* Librum dicas potius; eſt enim Poema didacticum elegiacum multis verſuum millibus conſtans, multisque, quae aevi illius feruntur, Poematibus nulla ratione inferius, etſi, quod ſciam, nemini adhuc memoratum. Cui dicatum ſit, praevia docet Elegia in hunc modum:

Eccleſie ſpeculum paſtor uenerande philippe.
Gemma ſacerdotum. preſul aquenſis aue.
Pontificum forma. uia pacis. ſemita morum.
Regula iuſticie. clara lucerna gregis.
Preſidium cleri. miſeris pietatis aſilum
Cultor honeſtatis ductor ouilis aue.
Suſcipe transmiſſum preſul metuende libellum.
Nec moueant animum uerbula macra tuum.
Perlege metra petri manantia paupere uena.
Pauper ei fons eſt. pauperiorque lacus. &c.